# KOENIGLICHES PROGYMNASIUM

ZU

# CHARLOTTENBURG

## III.

---

## JAHRESBERICHT,

WOMIT ZU DER
AM 25. SEPTEMBER STATTFINDENDEN OEFFENTLICHEN PRUEFUNG
DER SCHUELER
EHRERBIETIGST EINLADET
DAS LEHRER-COLLEGIUM.

---

Inhalt:



---

Berlin.

Druck von Gebr. Unger [Th. Grimm], Friedrichsstr. 24.

1868.

# SIMONIS MAGI VITA DOCTRINAQUE IMPRIMIS EX HIPPOLYTI ΚΑΤΑ ΠΑΣΩΝ ΑΙΡΕΣΕΩΝ LIBRO ILLUSTRANTUR.

## §. 1. PROOEMIUM.

Apostolorum Acta perlegenti et pertractanti mihi cum ad illum de Simone Mago locum (c. VIII, v. 9—23) veneram, in eis quae ibi de mago narrantur semper res multae mirabiles videbantur. Simon enim qui ita verum magum se praestat, ex mystica quadam caligine magna cum specie atque pompa exsistit, mendaci autem ingenio avaroque patefacto et castigato in pristinam obscuritatis condicionem recedit et ex memoria hominum apostolicae quidem aetatis plane evanescit. Huc adde ultima eius verba tam ambigue dicta, ut nonnulli[1]) eum ab improbitate ac mentis perversitate ad veram revertisse religionem pietatemque iudicarent: en habes perfectam et veram magi cuiusdam imaginem! Nec vero magicae illae nebulae, quibus apostolica magi occultatur persona, a Iustino Martyre, qui de eo populari suo novas res in medium profert, dissipantur vel illuminantur. Immo vero ille etiam densioribus quasi tenebris hunc magum involvisse censendus est, quippe qui falsam quandam rem incredibili cum levitate pro vera venditans permultarum de illo fabularum auctor fuerit. Quid deinde? in libris illis qui sub Clementis Romani nomine ad memoriam nostram permanserunt — Homilias et Recognitiones dico — qui paulo post Iustini aetatem exeunte altero saeculo compositi vulgo existimantur; nonne in his Simon Magus nova eademque vetusta persona in scenam prodit acerrimus Simonis Petri apostoli adversarius, qui tota Syria et disputationibus publicis et magicis artibus veram ubique religionem delere ac funditus evertere conatur? Ex eo autem tempore ille quidem apud omnes patres scriptoresque ecclesiasticos haeresiarchus

[1]) Cf. Meyer in commentar. ad Actor. VIII, 23.

sive omnium in Christi ecclesia pravarum atque impiarum auctor habebatur opinionum nomenque eius ac memoria omni verborum contumelia et ignominia aspergebatur. At vero in hac Simonis Magi infamia abhinc quadraginta fere annos quanta et quam subita commutatio facta est! Nam Christianus Baurus, vir et sagacitate et doctrina magna insignis, ex loco illo Homiliarum XVII, 19 *εἰ κατεγνωσμένον με λέγεις θεοῦ ἀποκαλύψαντός μοι τὸν Χριστὸν κατηγορεῖς* collato cum epistula ad Galatas II, 11 *ὅτι (Πέτρος) κατεγνωσμένος ἦν*, nonnullisque aliis[2]) locis recte primus et odoratus et argumentatus est, in Homiliis Clementinis sub Simonis Magi persona Paulum divinum Christi apostolum latere atque impugnari. Quae cum recte perspexisset vir doctissimus et tam evidenter demonstrasset, ut res ipsa nullis argumentis possit[3]) refelli, nec ille aut sectatores eius praesertim locum Ep. ad Gal. II, 11—15 respicientes, iam apostolica aetate eandem inter Petrum Paulumque apostolos rationem intercessisse pro explorato habere non dubitabant. Ac primum Eduardus Zellerus vir ille de historia philosophiae Graecae optime, minus de theologia meritus in libro de apostolorum Actis[4]) vel hanc fecit coniecturam: „substituiren wir Apg. 8, 18 dem Namen des Simon den des Paulus, so haben wir eine Erzaehlung, die dasselbe in historischer Form aussagt, was die antipaulinischen Judaisten nach II Cor. 11, 4 sq. 12, 11 sq. I Cor. 9, 1 sq. als allgemeine Behauptung aussprachen"; idemque l. c. sumsit, eum qui Acta composuisset, veram fabulae suae de Simone Mago sententiam probe adhuc intellexisse omnique ratione, ne Paulus apostolus in ea recognosceretur praecavisse. Volkmarus autem V. D. opinionem istam, ut Baurus ipse gloriatur (K. G. p. 93. not.) ad finem et probabilitatem quandam perduxit, cum ad hanc suspitionem progrederetur[5]), pecuniam illam a Simone Mago oblatam collectas istas intellegendas esse, ab Apostolo Paulo ubique terrarum ad pauperes fratres Christianos ex Iudaeis sublevandos eo consilio institutas, ut et ipse Hierosolymitis verus apostolus appareret atque talis iudicaretur.

Quae si recte disputata sunt, nimirum ex his Simon Magus persona mere

---

[2]) Quos locos primum collegit illustravitque in dissertatione quam inscripsit „die Christuspartei in der korinthischen Gemeinde etc. Tuebinger Zeitschr. f. Theol. a. 1831. H. 4. p. 136 sqq. tum in libro Paulus der Apostel Jesu Christi a. 1845. p. 85 sq., p. 130 sq. postremo in libro Geschichte der christl. Kirche tom. I, tertia edit. a. 1863 p. 85—93.

[3]) Cf. Schliemann, die Clementinen. a. 1844. p. 96 sq., p. 532 sq. Uhlhorn, die Homilien und Recognitionen p. 297 sq.

[4]) Zeller, die Apostelgesch. nach Inhalt und Ursprung. a. 1854. p. 172 sqq.

[5]) Vide sis Theol. Jahrbuecher. a. 1856. p. 279 sq. „Ueber d. Simon Magus der A. G. und den Ursprung der Simonie."

ficta et subditiva [6]) est, ac si ulli umquam, huic certe a patribus ecclesiasticis summa atque gravissima inlata est iniuria! Nec vero satis habens hanc novam lucem rebus apostolicis ecclesiae christianae attulisse Baurus insatiabili quadam veritatis cupiditate perductus iam veritus non est haec statuere, omnes Novi Testamenti libros, qui illam inter Paulum et Petrum sive inter Christianos ethnicorum et Iudaeorum discordiam testentur, genuinos esse — sunt autem quinque tantummodo duae Epp. ad Corinthios, Epistula ad Romanos et Galatas et Apocalypsis — omnes reliquos vero, in quibus ista discordia iam exstincta videatur, posterioribus temporibus, plerosque altero demum saeculo compositos esse; quorum numerus est viginti duorum. Quodcum omnia de primordiis ecclesiae nostrae christianae tam dubia atque incerta sint, nihil est cur non omnibus virorum doctorum coniecturis latissimus pateat campus.

Atque in hunc campum certamenque descenderunt, ut impetus illos acerrimos adversus ipsa religionis christianae fundamenta repellerent ac refutarent, viri et doctrina et pietate egregii ut Henr. Thierschius [7]), Victor Lechlerus [8]), Petr. Langeus [9]), Phil. Schaffus [10]), Albrecht. Ritschelius [11]) qui cum res antiquissimas ecclesiae christianae longe alias atque Baurus ex coniecturis statuerat, tum praesertim singula fere omnia canonis scripta genuina esse gravissimis argumentis comprobaverunt. Quaestiones autem de Simone Mago leviter tantum et praetereuntes tetigerunt, illud recte monentes Homilias quidem et Recognitiones Clementinas, quae multis in rebus fabulis Milesiis simillimae sint, ad res apostolicae aetatis diiudicandas nullo modo adhiberi posse. Attamen hanc praecipue quaestionem iterum atque iterum revolvi iustissimum erat, cum inter has controversias novus et vetustissimus de mortuis quasi exstitisset testis multa nova graviaque testimonia de Simonis vita doctrinaque afferens — dico librum illum viginti fere annos abhinc repertum, quem Emmanuel Millerus, bibliothecae Instituti Franciae praepositus, inscriptum *Ὠριγένους φιλοσοφούμενα ἢ κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἔλεγχος* a. 1851 primus ediderat. [12])

---

[6]) Cf. Baur, K. G. p. 190: „Der Magier Simon der Kirchenvaeter ist, als Stammvater der Gnostiker, eine durchaus apokryphische und mythische Gestalt, in welcher man nur eine Personification der Gnosis sehen kann."

[7]) Versuch zur Herstellung des historischen Standpunkts der neutestamentlichen Schriften. Eine Streitschrift gegen die Kritiker unserer Tage. Erlangen. a. 1845.

[8]) Das apostol. und nachapostol. Zeitalter. II. Auflage. a. 1857.

[9]) Das apostol. Zeitalter. a. 1853—54. II tom.

[10]) Gesch. der apostol. Kirche. a. 1854.

[11]) Entstehung der altkathol. Kirche. II. Aufl. a. 1857.

[12]) Ut haec obiter addam: totum illud *κατὰ πασῶν αἱρέσεων* opus ex decem libris constabat,

Sexto enim libro a capite nono usque ad undevigesimum auctor operis eius ex ipsius Simonis Magi libro quodam Ἀπόφασις μεγάλη inscripto excerpta profert multa, quae hucusque viri docti meo quidem iudicio minus quam debebant animadverterunt. Baurus enim cum statim edito libro scriptum illud Simonianum minime genuinum sed subditivum esse censuisset, omnes fere viri docti qui exinde de Simone disputaverunt haec excerpta, si quid in eis ab ipso Simone profectum videretur, altius inquirere supervacaneum esse duxerunt. Qua de causa Guil. Moellerus V. D. qui nuper bis de Simone Mago diligentissime disputavit primum in libro Geschichte der Kosmologie in der griech. Kirche bis auf Origenes. a. 1860. p. 284—317; tum in Herzogi libro, Real-Encyclopaedie der prot. Theol. t. XIV. p. 389—399. a. 1861, in ea re praesertim graviter errasse mihi videtur, quod in excerptis illis plane diversam et a pristina abhorrentem Simonianam doctrinam inesse statuit. Quam quidem rem longe aliter sese habere ego censeo et demonstrare conabor.

Iam vero restat, cum librum illum nuper repertum in hac quaestione de Simone Mago instituenda potissimum ducem sequi velimus, ut nonnulla de eius auctore afferamus. Millerus autem, qui re non subtilius examinata totum opus Origeni adscripserat, quam vehementer errasset VV. DD. Bunsenius[13]), Iacobius[14]), Dunckerus[15]) eodem fere tempore a. 1851 perspexerunt eidemque per se nullius invicem vel adiumento vel auctoritate moti eundem coniectura reppererunt auctorem, Hippolytum presbyterum vel episcopum Romanum, qui ab ineunte usque ad medium saeculum tertium p. Chr. n. et Romanae et Portuensi ecclesiae praefuisse et hunc κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἔλεγχον anno fere 234 composuisse a plerisque censetur. Haec autem summa est omnium illarum quaestionum, quas per complures annos viri docti[16]) summa cum doctrina et subtilitate de auctore huius libri habuerunt.

Nec vero alteram eius libri editionem multo emendatiorem quam Milleri, a Ludovico Dunckero et Friderico Schneidewino curatam silentio praeteribo. In qua

---

ex quibus primus iam dudum circumferebatur, Ὠριγένους φιλοσοφούμενα inscriptus, quartus usque ad decimum i. e. septem libri ex codice Parisino nuper editi sunt; secundus et tertius liber adhuc desiderantur.

[13]) Hippolytus u. seine Zeit. a. 1852.

[14]) Deutsche Zeitschr. f. christl. Wissensch. a. 1851. no. 25. a. 1853. no. 24.

[15]) Goetting. gelehrte Anzeig. a. 1851. St. 152—155.

[16]) cf. Doellinger, Hippolytus u. Kallistus. a. 1853. Volkmar, Hippolytus u. die roemischen Zeitgenossen. a. 1855. Jacobi, s. v. Hippolytus, Herzog. Real-Encyclop. VI, 131 sq. a. 1856. Uhlhorn, Ueberblick ueber d. Litteratur d. histor. Theolog. v. 1851—1860 in Kahnis Zeitschr. f. hist. Theol. a. 1866. I. H. p. 54 sq.

cum praeter editores duos, ex quibus Schneidewinus ante opus absolutum defunctus est, viri emendandarum veterum litterarum peritissimi ut Bernaysius, Fr. Ritschelius, Meinekius, C. Fr. Hermannus, Sauppeus aliique studio et operam collocassent, Uhlhornus l. c. p. 55. eam quasi decus universae Germanorum doctrinae optimo iure appellat.

Extremum est autem, ut de fontibus quos in hac quaestione secuturi simus, nonnulla dicamus. Nam nisi fontes num probi bonique sint, excussi et examinati fuerint, omnis quaestio de Simone Mago futilis ac vana erit.[17]) Quod cum facile sit intellectu omnes fere scriptores ecclesiasticos, ut quisque est postremae aetatis, ita quam maxime fabulis de Simone repletos et cumulatos esse: nos quidem praeter Eusebium Epiphanium Theodoretum posteriores scriptores plane neglegemus, satius habentes eos libros adire, qui usque ad annum CCL. p. Chr. sunt compositi. Quibus ex fontibus liber Hippolyti cum longe optimus et integerrimus mihi videatur et hucusque nimis neglectus, omnibus spero probatum iri, si in hac re disserenda Hippolytum potissimum ducem sequar. Clementina autem praecaute et circumspecte in hac de Simone quaestione adhibenda esse, iam supra intelleximus; quibus in rebus digna nobis videantur, quorum fidem sequamur, paulo inferius iam dicemus. Denique cum minime omnes de Simone Mago fabulas in unum quasi locum coacervare velimus, eos qui istam farraginem cognoscere volent, delegamus ad Vogti bibliothecam historiae haeresiologicae (Hamburg. a. 1726.) in qua post Henr. Horbei de Simone M. dissertationem denuo typis descriptam pp. 667—73 et antiquiores dissertationes ab a. 1655—1725 recensentur; tum ad Simsonem qui cum a. 1841 in Illgeni commentariis theologiae historicae de Simone M. dissereret in prooemio dissertationes ab a. 1725—1840 collegit. Nos autem nunc videamus, quae ex historiae legibus de Simone Mago secundum Hippolyti librum constitui possint.

## §. 2. DE SIMONIS MAGI VITA.

Natus est Simon Hippolyto auctore (l. VI, 7) Gittae sive Gitthis[18]) in vico Samaritano haud procul ab Neapoli sive Sichem — hodie Nablus — sito. De parentibus autem eius ac de ceteris vitae condicionibus neque Hippolytus neque ceteri

---

[17]) Qua re Simson V. D. in dissertatione de Simone M. maxime errasse mihi videtur, quod omnes fere scriptorum fontes promiscue ac sine delectu sequitur.

[18]) De re cf. Iustin. Mart. I. Apolog. c. 26; Irenaeum, adv. haer. I, 23, 2; Tertullianum de anima c. 34; Clementis Homil. II, 22; Recogn. III, 7. De varia eius nominis forma vide sis Ioh. Clericum ad Constitt. apost. VI, 7; vernacula lingua גת vocabatur; cf. Winer, bibl. Real-Woerterbuch tert. edit. p. 393; hodie Kuryet-Jît, vide Robinson, Palaestina III, 372.

rerum scriptores tradiderunt quidquam: sola Clementina de his rebus proferunt nonnulla, quae num plane conficta et ab historica fide sint aliena multis de causis dubito. Nam ut ea quae supra omisimus hoc loco iam suppleamus, Schliemannus (de Clementinis p. 92 sqq.) atque Uhlhornus (de Homiliis et Recogn. p. 282 sqq.) et subtiliter perspexerunt et optime docuerunt, in ipso Simone Clementinorum duplicem quasi personam distinguendam esse et quae suas ipsius et quae alienas sive Pauli sive Marcionis sententias proferret atque enuntiaret. Quoniam Baurus quidem, ut supra demonstravi, ea tantummodo quae Simon ut commenticia persona dicat agatque in quaestionibus suis respexit; ego nunc prorsus contrariam ingrediar rationem et illis neglectis ea quae de Simone ut vera persona ac Simonianorum principe in Clementinis narrantur, et proferam et si probabilia videbuntur, ut vera aut veri similia sequar. Nec ita peccare in historiae leges mihi videor. Nam si recte Uhlhornus l. l. p. 407—30 gravissimis argumentis nuper demonstravit, haec Clementina scripta in ipsa Syria sive in Simonis patria — non Romae, ut Baurus vult[19]) — et nata et composita esse, nonne optimo iure statuere videbimur, horum librorum auctorem cum in Simonis rebus bene versatum fuisse tum fabulis ac commentis suis multa vere de Simone tradita admiscuisse? Quid? num has veritatis quasi scintillas ex libris istis elicere et excutere recusemus? Minime vero. Quodsi in Homil. II, 22 et Recogn. II, 14 pater et mater Simonis Antonius et Rachel nominantur, dubito an aliquid veri subsit; quod autem Recogn. l. c.[20]) Simon se Antonii filium esse negat, hoc multo veri similius dictum mihi videtur, quippe quod Simonem Christi partes agentem prodat atque exhibeat. Iam vero alteram rem fide dignissimam locus ille Homil. II, 22 affert, qui ex editione P. de Lagardi p. 27, 27 ita scribitur: *Οὗτος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ πρὸς Αἴγυπτον γεγονώς, ἑλληνικῇ παιδείᾳ*[21]) *πάνυ ἐξασκήσας ἑαυτὸν καὶ μαγείᾳ πολὺ δυνηθεὶς καὶ φρενωθεὶς θέλει νομίζεσθαι ἀνωτάτη τις εἶναι δύναμις καὶ αὐτοῦ τοῦ τὸν κόσμον κτίσαντος θεοῦ, ἐνίοτε δὲ καὶ Χριστὸν ἑαυτὸν αἰνισσόμενος, ἑστῶτα προσαγορεύει.* Alexandreae ergo, in hac sede ac domicilio omnium litterarum Simon et litteras Graecas et artem magicam didicit. Quam quidem rem etiam aliae causae probant atque confirmant. Primum enim in Aegypto schola magica sub Herma Trismegisto patrono floruisse perhibetur[22]),

---

[19]) cf. Baur, Christuspartei p 199. Schliemann, die Clementinen p. 327 sqq. 549 sqq.

[20]) „Ante enim quam mater mea Rachel conveniret cum eo, adhuc virgo concepit me, cum esset in potestate mea vel parvum esse vel magnum et hominem inter homines apparere."

[21]) Libri *τῇ ...... παιδείᾳ*; verba *πρὸς Αἴγυπτον γεγονώς, ἑλληνικῇ* de Lagarde recte coniecit ex loco Recogn. II, 7.

[22]) cf. P. Lange, Zauberei, Herzog. Real-Encyclop. tom. XVIII. p. 397.

cuius alumnus nescio an Simon quoque fuerit. Huc iam accedit, quod omnes qui Simonem in itineribus suis comitantur, ex Clementinis Aegyptii sunt, ut Annubion Aegyptius quidam magus et astrologus[23]) atque Apion nobilis ille grammaticus Alexandrinus[24]), qui quidem item vanus ac magniloquus describitur, atque veterum scriptores eum revera fuisse perhibent. Unde iam manifesto sequitur, ut necessitudo illa inter Simonem atque Aegyptios doctos non commenticia sed ad historiae fidem descripta sit. Nec minus illud quod Simon ex Actor. VIII, 10 *ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ μεγάλη* esse voluit, Aegyptiam doctrinam sapere viris doctis videtur, de que re cf. de Wette ad Actorum VIII, 10; Cremer, Bibl. theolog. Woerterbuch, p. 174; Simson, Simon der Magier. Illgen Zeitschr. 1841, III. H. p. 17.[25])

Denique Hippolytus ipse, nisi fallor, ex Aegyptiorum disciplina Simonem prodiisse hac re indicat: cum enim omnes qui haereses descripserunt et refutaverunt, Simonem omnium haereticorum gregem faciant ducentem, Hippolytus eius doctrinam exponit post Naassenos et Peratas et Sethianos et Iustinum Gnosticum, — quorum commenta libro quinto describit — qui quidem omnino Ophitae vocantur. Ophitarum autem patriam Aegyptum fuisse constat inter omnes viros doctos.[26]) Nec Lipsium V. D. effugit Hippolyti locis l. VI, 9 (D. 236, 75) et l. V, 9 (D. 168, 22) conlatis, Naassenis idem atque Simonianis evangelium fuisse Simonianam illam *Ἀπόφασιν μεγάλην*, unde haec ille recte efficit:[27]) „Aber auch die sogenannten Simonianer sind, wie hier nicht weiter erwiesen werden kann, eine Abzweigung der Ophiten, die sich wesentlich nur dadurch unterschied, dass der Samaritaner Simon bei ihnen dieselbe Erloeserstelle einnimmt wie Jesus bei den uebrigen Gnostikern." Ophitas vero, ut hoc strictim moneam, qui fortasse nescio an cum Therapeutis Aegyptiis conexi fuerint, iam ante Chr. n. exstitisse et Origenes contra Celsum VI, c. 28 sqq. et Philaster in libro de haeresibus testantur.

Haec si recte disputata sunt, inde iam illud Clementinorum, Simonem Samaritanum Iudaei Iohannis Baptistae fuisse discipulum mere commentum esse effi-

---

[23]) Schliemann, Clement. p. 101; Uhlhorn, Recogn. p. 302.

[24]) Schliemann l. c. p. 111 sqq. Uhlhorn l. c. p. 300 sqq. Lehrs, quaest. epp. I, 1—34.

[25]) Simson l. c.: „Simon der Magier ist ein Beweis, welche weite Verbreitung die Lehrsaetze der Alexandrinischen Philosophie damals gewonnen hatten: *ἡ μεγάλη δύναμις τοῦ θεοῦ*, dieser Name kann nur aus dem Geiste der Alexandrinischen Schule abgeleitet werden. Die Lehre der Simonianer ist ohne Zweifel auf dem Boden des Alexandrinischen Judenthums erwachsen."

[26]) cf. Gass, die Ophiten, Herzog. Real-Encycl. tom. X, p. 660.

[27]) cf. Lipsius, Gnosticismus, Ersch u. Gruber. Encyclop. sect. I. tom. 71. p. 293a.

citur. Nec minus incerta ac fabulosa sunt, quae de ratione inter Simonem et Dositheum[28]), sectae cuiusdam Samaritanae auctorem, narrantur.

Sed ut ad Hippolytum redeamus, hic de Simone artes magicas exercente l. VI, 7, (D. 234, 25) ita scribit: *Οὗτος ὁ Σίμων μαγείας ἔμπειρος ὢν καὶ τὰ μὲν παίξας πολλοὺς κατὰ τὴν Θρασυμήδους*[29]) *τέχνην, ᾧ τρόπῳ ἄνωθεν ἐξεθέμεθα, τὰ δὲ καὶ διὰ δαιμόνων κακουργήσας, θεοποιῆσαι ἑαυτὸν ἐπεχείρησεν, ἄνθρωπος γόης καὶ μεστὸς ἀπονοίας, ὃν ἐν ταῖς Πράξεσιν οἱ ἀπόστολοι ἤλεγξαν.* De miraculis autem, quibus magus ille hominum mentes decipiebat, in Homil. II, 32 haec leguntur: *Ἀνδριάντας ποιεῖ περιπατεῖν καὶ ἐπὶ πῦρ κυλιόμενος οὐ καίεται, ἐνίοτε δὲ καὶ πέταται καὶ ἐκ λίθων ἄρτους ποιεῖ, ὄφις γίνεται, εἰς χρυσὸν μεταβάλλεται, θύρας κεκλεισμένας ἀνοίγει, σίδηρον λύει, ἐν δείπνοις εἴδωλα παντοδαπῶν ἰδεῶν παρίστησιν, τὰ ἐν οἰκίᾳ σκεύη ὡς αὐτόματα φερόμενα πρὸς ὑπηρησίαν βλέπεσθαι ποιεῖ, τῶν φερόντων οὐ βλεπομένων.* Quodsi quaeras, quo loco ille has artes magicas exercuerit, iam Acta apostolorum Simonis patriam indicant Samariam et caput ipsum Sebasten; nam *ἡ πόλις τῆς Σαμαρείας* (VIII, 5) articulo praeposito nobilissimam regionis urbem significat. Omnes autem Samaritas praestigiis suis ita obstupefecit, ut universi eum pro summa dei virtute sive potestate haberent. Jam mitto Simonis baptisma per Philippum diaconum factum, mitto gravissimam illam vituperationem, quam subiit propter pecuniam Petro oblatam; hoc solum obiter moneo, de his rebus in Clementinis nihil exstare. Tum vero Simon tantum afuit ut peccati sui eum poeniteret, ut fide christiana spreta[30]) et ad magiam exercendam reverteretur et moribus se multo quam antea deteriorem praestaret. Nam eo superbiae atque insaniae progressus est, ut ipse Christi sedem occupare et novus Samaritarum Messias[31]) exsistere conaretur. Quod nefarium Simonis studium Hippolytus perlepida illa de Apsetho quodam Libye fabula (l. VI, 8) ridiculum reddit. Is enim eadem qua Simon cupiditate inflammatus, ut deus fieret ac divinis coleretur honoribus, post varios conatus voti compos non factus tandem multos psittacos domi suae congregatos haec verba loqui docuit: *Ἄψεθος θεός ἐστιν.* Quae cum didicissent omnes aves Apsethus dimisit; Libyes vero stolidi homines his verbis auditis vocem deorum ex avibus audiri putantes ad Apsethum convenerunt et pro

---

[28]) cf. H. Petermann, Samaria, Herzog. Real-Encycl. tom. XIII, p. 391.

[29]) De Thrasymede supra l. IV, 28—41, quem locum Dunckerus in notis laudavit, Hippolytus nihil exposuit; nec ego alias quidquam de hoc praestigiatore repperi.

[30]) Hippol. l. VI, 20 (D. 256, 17) *Σίμων ... ὕστερον ἀπευδοκήσας*; quae vox *ἀπευδοκεῖν* in lexicis adhuc desideratur, in H. Stephani Thesauro asterisco notatur.

[31]) cf. Hippol. l. VI, 9 (D. 236, 63) *Χριστὸς οὐκ ἦν Σίμων*; l. VI, 20 (p. 258, 26).

deo habebant. Sed Graecus quidam callidior illis, fraude impia falsi dei perspecta multos ex psittacis collectos haec verba dicere docuit: *Ἄψεθος ἡμᾶς κατακλείσας ἠνάγκασε λέγειν Ἄψεθος θεός ἐστιν.* Qua psittacorum palinodia audita Libyes concurrunt et Apsethum falsum deum concremant.[32])

Hippolytus autem pariter ac Graecus ille Apsethi, Simonis psittacos dedocere *ὅτι Χριστὸς οὐκ ἦν Σίμων* (l. VI, 9)[33]) in animum induxit, ideoque multis verbis eius doctrinam exponit et refellit; nos vero quid iam de reliqua eius vita afferat videamus.

L. VI, 19, (D. 254, 74) Hippolytus de Simone haec memoriae prodit: *ην λυτρωσάμενος ἅμα ἑαυτῷ περιῆγεν*, ac voce *περιῆγεν* eum peregrinatum esse demonstrat, de quibus itineribus et Iustinus Martyr et Clementina multa, nonnulla recte, plurima falso narrant (vide Schliemann. Clement. p. 110, 111). Comitabatur autem eum peregrinantem muliercula quaedam, de qua Hippolytus (l. c. 254, 76) haec tradit: *Ὁ δὲ ψυδρὸς* (ita recte Roeperus pro *ψυχρὸς*) *ἐρασθεὶς τοῦ γυναίου τούτου, Ἑλένης καλουμένης, ὠνησάμενος εἶχε.* Haec enim Helena Tyri in urbe Phoenicia meretrix in fornice prostiterat, unde pecunia redemptam Simon liberaverat.[34]) Nec vero insolitam illis temporibus talem comitem fuisse ex epistula I. Cor. 9, 5 conici licet, quo loco Paulus ita scribit: *μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ κυρίου καὶ Κηφᾶς;* itaque Baurus cum hanc quoque Simonis mulierem et comitem mythicam esse velit[35]), non minus quam de Simone errare mihi videtur. — —

Iam venimus ad Simonis exitum, de quo Hippolytus l. VI, 20 haec maxime

---

[32]) Eadem de Psaphone quodam Libye narrat Apostolius in Proverbiis cent. XVIII, 48, p. 730 ed. Leutsch. s. v. *Ψαφῶν*; item Maximus Tyrius Diss. XXXV. Similem narrationem de Hannone Carthaginiensi habet Aelianus V. Hist. XIV, 30. Cf. etiam Iustin. XXI, 4, et Plin. Nat. Hist. VIII, 16.

[33]) In principio eius capitis, quod libri ita exhibent: *Οὕτως ἡγητέον Σίμωνα τὸν μάγον ἀπεικάζοντας τῷ Λίβοϊ τάχιον ἀνθρώπῳ γενομένῳ οὕτως θεῷ*, apparet *ἤ* particulam deesse. Millerus legendum certe *τάχιον* [*ἢ*] *ἀνθρώπῳ γενομένῳ ὄντως θεῷ* (de Christo) censet. Mihi vero *ἤ* post *οὕτως* collocandum videtur; ita enim interpretor: Hanc igitur sententiam de Simone Mago habere debent, qui quidem eum cum Libye illo conferant, qui citius ea ratione homo (i. e. misellus) quam deus factus est.

[34]) Iustin. Martyr. I. Apol. 26. p. 69. Irenaeus, adv. haer. I, 23, 2. Tertullianus de anima 34, qui inepte fabulans haec addit: Helenam eadem pecunia — qua spiritum sanctum empturus erat — redemit, dignam sibi mercedem pro spiritu sancto.

[35]) cf. K. G. p. 190: „Die Grundanschauung der Gnosis, die in ihm und der ihm beigegebenen Helena mythisch symbolisirt werden soll, ist die gnostische Idee der Syzygie." Nam quod Helena in Recogn. II, 8 saepius Luna vocitatur, haec nominis mutatio nescio an ex errore quodam ipsius Recognitionum auctoris manaverit.

memorabilia prodit: *ἕως καὶ τῆς Ῥώμης ἐπιδημήσας ἀντέπεσε τοῖς ἀποστόλοις· πρὸς ὃν πολλὰ Πέτρος ἀντικατέστη μαγείαις πλανῶντα πολλούς. Οὗτος ἐπὶ τέλει ἐλθὼν ἐν τ......τῃ, ὑπὸ πλάτανον καθεζόμενος ἐδίδασκε. Καὶ δὴ λοιπὸν ἐγγὺς τοῦ ἐλέγχεσθαι γινόμενος διὰ τὸ ἐγχρονίζειν, ἔφη, ὅτι εἰ χωσθείη ζῶν, ἀναστήσεται τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. Καὶ δὴ τάφρον κελεύσας ὀρυγῆναι ὑπὸ τῶν μαθητῶν ἐκέλευσε χωσθῆναι. Οἱ μὲν οὖν τὸ προσταχθὲν ἐποίησαν, ὁ δὲ ἀπέμεινεν ἕως νῦν· οὐ γὰρ ἦν ὁ Χριστός.* Romam igitur, in summum totius orbis terrarum caput, Simon Magus peregrinans pervenit, cuius rei testis Hippolytus, primus auctor Iustinus Martyr est. At quantum utriusque horum testimonia inter se differunt! Iustinus enim ut rem certissimam fabellam de statua quadam enarrat, qua Simon Magus sub Claudio imperatore ex praestigiis magicis a senatu populoque Romano honoratus sit, cui haec verba inscripta: SIMONI DEO SANCTO (I. Apol. 26), quam fabulam[36]) omnes fere scriptores ecclesiastici temere repetiverunt ac secuti sunt: solus Hippolytus, quippe qui ut Romanus statuas Romanas melius nosset, hanc fabulam nec excepit nec propagavit sed silentio praeteriens eam commenticiam esse demonstravit. Attamen Hippolytus cum principalem illam falsam Iustini opinionem Romae Simonem Magum versatum fuisse sequi non dubitaret, facere non potuit, quin etiam fabellas Romae exinde commentas pro veris haberet. Nam Petri et Simonis Magi disputationem Romae sub platano quadam institutam plane confictam et ad priorem illam Samaritanam imitatione expressam esse quis est quin intellegat? Huc adde, Simonem se vivum sepeliri iussisse, nimirum ut veri Christi exemplum imitaretur. Qua de re iam illud monendum, in Actis Petri et Pauli (ed. C. Tischendorf. p. 33) — quae iam Eusebius H. E. III, 3 laudat —, Simonis exitum plane aliter ac multo fabulosius narrari: cum enim frustra ad caelum evolare conaretur, ex Petri supplicatione eum delapsum et in via sacra defunctum esse. Iam vero quam incertum ac dubium sit Petrum omnino Romae et simul cum Paulo apostolo fuisse, hac de re vide Baurum de vita Pauli p. 671—677, qui quidem facere non potuit quin et hoc loco ad principalem suam de Simone Mago cum Paulo commutato coniecturam recurreret.[37]) Ceterum utut res se habuerunt, Hippolyti tempo-

---

[36]) Hanc narratiunculam de Simonis statua falsam esse, inter omnes constat; nam a. 1574 p. Chr. n. in insula Tiberina loco illo, quem Iustinus indicaverat, crepido marmorea reperta est, cui haec sunt inscripta: SEMONI SANCO DEO FIDIO SACRUM SEX. POMPEIVS. Cf. Orelli Inscr. lat. no. 1860. Otto ad Iustini I. Apol. c. 26. De Semone deo Sabino cf. Jacobi, Mytholog. Woerterbuch. p. 798 s. v. Sancus.

[37]) cf. K. G. p. 93: „Dass endlich auch die Wanderungen des Magiers mit ihrem Ziel in Rom und der abenteuerlichen Katastrophe, mit welcher er daselbst geendet haben soll, nur ein trueber Reflex der Geschichte des Heidenapostels sind, laesst sich gleichfalls nicht verkennen."

ribus fabulae illae de ecclesiae Romanae primordiis Romae et narrabantur et credebantur, cf. Irenaeum adv. haer. III, 3, 2; Eusebium H. E. II, 25.

Quae cum ita sint, etsi de Romano Simonis M. exitu non liquet, tamen reliqua hucusque disputata de origine Samaritana, de eruditione Alexandrina, de eius baptismate atque itineribus cum Helena factis certa et indubitata mihi videntur.

## §. 3. DE SIMONIS MAGI DOCTRINA.

Expositis iam eis rebus quae de Simonis vita constare videantur, nunc Hippolyto duce ad eius doctrinam describendam et enucleandam pergamus. Sed antequam de praeceptis eius disputemus, propositum nostrum tenentes de ipso fonte unde hauriamus quaestionem habere necesse est. Novum enim fontem, ut supra in prooemio commemoravimus, Hippolytus de Simonis doctrina aperuit: ex ipsius libro quodam hucusque prorsus ignoto, qui *ἡ Ἀπόφασις ἡ μεγάλη* inscribitur (VI, 11, D. 240, 23), multa nec tamen ad librum plane diiudicandum sufficientia excerpsit et memoriae nostrae prodidit.

Ac primum quidem exponamus quem ad finem liber ille conscriptus videatur. Finem autem libri cuiusvis titulus inscriptus significat. Quid igitur *Ἀπόφασις μεγάλη* est sive quid intellegitur vox *ἀπόφασις*? Baurus quidem vocem *ἀπόφασις* a verbo *ἀποφάναι* id est negare derivans, negationem significari vult, quam notionem ita explicat (cf. K. G. I, p. 191, not.): „*Ἀπόφασις* heisst Verneinung. Die grosse Verneinung ist ohne Zweifel nichts anderes als der durch Bejahung und Verneinung, zwischen oben und unten, der Einheit und der Zweiheit sich hindurchbewegende, die durch Emanation und Projection entstandenen und in die Welt der Vorstellung herausgestellten Gestalten wieder aufhebende und in sich zuruecknehmende gnostische Process.“ Quam vero contorta et difficilis immo obscura haec sit tituli illius interpretatio, ut nullo modo vera et recta esse possit, nemo non intelleget.[38]) Itaque melius et rectius ceteri omnes vocem *ἀπόφασις* a verbo *ἀποφαίνειν* ducunt, quod idem est atque *ἀποκαλύπτειν*: *ἀπόφανσις* sive *ἀπόφασις* igitur pariter atque *ἀποκάλυψις* revelatio est. Cf. *ἀποκάλυψις Ἰωάννου*. Quam vero aptum est ad Simonis ingenium, iam titulo ea quae libro contineantur numinis divini revelationes venditari? Argumentum autem eius revelationis nihil aliud nisi doctrina de deo, de mundo, de homine eiusque redemptione esse potest, quae revera quidem omnia in

[38]) Bauri interpretationem falsam esse etiam locus ille ex Apophasi excerptus VI, 9. D. p. 236, 75: *Τοῦτο τὸ γράμμα ἀποφάσεως φωνῆς καὶ ὀνόματος*, id est: „hic est liber revelationis per vocem et nomen“, aperte ostendit.

hoc libro inesse reperimus. Itaque Bunsenius licet multis rebus de hoc libro erraverit, tamen illud recte (cf. Hippolyt. u. s. Z. I. p. 43) perspexit, Simonem quippe qui Pseudochristus Samaritanus esset, hanc *Ἀπόφασιν* quasi evangelium suum edidisse. Quodsi Apophasim evangelii Simoniani locum tenere recte statuerimus, et de Simone eiusque Helena, quippe qui Simonianorum dei fuerint, placitorum summam in ea tradi et explanari consentaneum erit. Hinc iam efficitur etiam caput undevicesimum libri sexti Hippolytei, quod quidem Simonis de Helena ac semet ipso commenta adumbret, item ac capita superiora (a nono ad duodevicesimum) ex Apophasi magna depromptum et excerptum esse. Quam rem optimo iure a nobis statui, licet ceteri omnes viri docti aliter censeant, haec duo probant argumenta, quorum unum inde repeto, quod Hippolytus caput undevicesimum ex alio atque priora capita fonte haustum esse, nulla voce nec aperuit nec significavit; alterum vero inde, quod in ultima capitis XIX propositione[39]) haud secus atque in superioribus excerptis voce *φησὶν* utitur. Etiamsi igitur Hippolytus in capite undevicesimo Simonis commenta paulo liberius rettulerit et de suis ipsius opinionibus nonnullas admiscuerit, tamen se illa ex eodem fonte ac reliqua hausisse iam ultima voce *φησὶν* indicat. — Longe aliter vero rem sese habere Hippolytumque ex duobus fontibus doctrinam Simonis hausisse, VV. DD. Uhlhorno Iacobio Moellero persuasum est Ex quibus Uhlhornus in libro de Homiliis et Recognitt. p. 293 haec disputat: „Der Bericht der Philosophumena ist aeusserst verwirrt und wir glauben aus einer Vergleichung des Irenaeus schliessen zu duerfen, dass hier die Berichte verschiedener Quellen durcheinandergemengt vorliegen, indem der Verfasser jenes Buches theils einen ihm mit Irenaeus gemeinsamen Bericht benutzte, theils ein Buch der Secte selbst, die *ἀπόφασις*, die, wie es scheint, dem Irenaeus nicht bekannt war. Beide stimmen nicht miteinander und geben kein einheitliches Ganze; der Bericht dieser *ἀπόφασις* ist augenscheinlich eine noch juengere Gestalt der Lehre, waehrend der Bericht, welchem die Philosophumena den letzten Theil ihrer Darstellung entnommen und dem auch Irenaeus folgte, das System in einer noch etwas aelteren Gestalt vortraegt, daneben freilich an Urspruenglichkeit hinter jenem zuruecksteht und manches enthaelt, was nur als die Meinung der Orthodoxen ueber die Simonianer, nicht als deren Lehre selbst anzusehen ist.“ Cf. Iacobi de Hippolyto in Herzog. Real-Encyclop. VI, 137; Moeller. Kosmolog. p. 285 sqq. Quae de diversis fontibus Hippolyteis sententia cur nobis reicienda videretur iam supra exposuimus; attamen hac in re convenit mihi cum viris illis doctis, quod duas partes Apophaseos illius fuisse statuo,

---

[39]) Ἔθεντο γάρ, φησίν, οἱ ἄγγελοι κτλ.

quarum prior θεωρητική, ut ita dicam, quid Simon de natura dei ac mundi hominisque creatione statuerit, altera vero πρακτική, quae ad homines per Simonem Helenamque redimendos et ad cultum sectae eius pertineant complexa esse videatur. De usu eius libri nescio an ita recte statuamus, partem illam spectativam ut λόγον ἐσωτερικὸν initiatis modo notam fuisse, alteram quae ad vitam pertineat, ut λόγον ἐξωτερικὸν omnino in vulgus manavisse. Hinc optime iam emergat, cur Irenaeus et Epiphanius ex hac altera tantum parte de Simonis doctrina excerpta protulerint.

Exposito iam satis qualis ille liber Apophaseos magnae fuisse nobis videatur, restat ut quaeramus, quis eius libri auctor fuerit. Hippolytus quidem multis locis, cf. Dunckeri editionis nominum indicem s. v. Simon. p. 569, Simonem Magum auctorem eius nuncupat, ut nullum dubium sit quin Hippolyti temporibus Simoni quasi auctori liber ille adscriptus fuerit. Praeter Hippolytum autem et Recognitiones (II, 38) et Constitutiones apostolicae (VI, 16) et Hieronymus (Comment. ad Evang. Matth. XXIV, 5), ut omittam alios posterioris aetatis (cf. Uhlhorn. Homil. et Recogn. p. 290 sq.), librorum a Simone Mago conscriptorum mentionem faciunt. Attamen ad confirmandam Simonis auctoritatem quid valent testimonia aut ex libris qui falsis circumferuntur nominibus aut ex tam recentibus scriptoribus deprompta, ut Hippolytus inter eos longe optimus ac gravissimus auctor atque testis censendus sit? At ne Hippolyti quidem testimonium viri docti nostrates probant, immo uno ore Apophasim illam non a Simone profectam esse dicunt. Inter quos Baurus constantem ac propositi tenacem sese praestat, ut qui Simonem Magum nullum omnino fuisse contendat.[40]) Iacobius autem V. D. in dissertatione de Hippolyto (Herzog. Real-Encycl. t. VI, p. 137) de libri huius auctore haec statuit: „die μεγάλη ἀπόφασις wurde von Simon dem Magier abgeleitet, ein Ursprung, den Bunsen gelten laesst, welcher sich aber aus der Entwickelungsstufe der Theorie und ihren Voraussetzungen widerlegt; quae quidem de Bunsenio non plane recte dicta mihi videntur. Nam Bunsenius (cf. Hippolyt. u. s. Zeit. I. p. 43) Simonem non magis quam Pythagoram aut Socratem opus doctum de rebus divinis humanisque composuisse, sed hanc Apophasim a Menandro Simonis discipulo intra temporis spatium ab anno LXX. ad C. post Chr. n. conscriptam arbitratur.

Haec quidem de Apophaseos auctore viri illi docti; nos vero ne Hippolyti

---

[40]) Cf. K. Gesch. I, p. 191, not.: „Der Magier Simon ist auch als der Verfasser einer solchen Schrift nur der ideelle Repraesentant dessen, was man sich als die Eigenthümlichkeit der Gnosis dachte, und so wenig es wirklich einen Magier Simon gab, so wenig gab es auch Simonianer, sondern die man so nannte, sind nur die, die solcher angeblich von dem Magier Simon verfassten Schriften sich bedienten.“ Cf. Hilgerfeld, apost. Vaeter. p. 242 sqq.

auctoritatem temere deseramus, antequam ipsi rem accurate examinaverimus, et doctrina et diligentia clarissimi illius martyris admonent. Illud vero pro regula ac norma nobis esto, si qua res ab Simonis aetate prorsus aliena in his excerptis inveniatur, nullo modo hunc librum a Simone Mago profectum esse. Atque ea quae Hippolytus ex Apophasi magna excerpsit, maximam partem sunt loci ex Vetere Testamento citati, quos Simon allegorica sive immutata quadam interpretatione ad confirmandam doctrinam suam adhibuisse traditur. Haec autem Veteris Testamenti interpretandi ratio cum apud Iudaeos Alexandrinos usitatissima[41]) esset, et in hac Apophasi Simoniana latissime pateat, nonne opinionem nostram supra expositam, Alexandreae Simonem litteris eruditum esse, confirmat et declarat? At Novi etiam Testamenti locos tres[42]) Simon Hippolyto auctore in Apophasi magna citasse perhibetur, duos ex Ev. Matth. 3, 10 et 12 cf. l. VI, 16 (D. p. 248, 75) et l. VI, 9 (D. p. 238, 6), sive ex Evang. Luc. 3, 9 et 17, unum ex prima epistula ad Corinthios 11, 32 ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν. Ex his autem duo priores loci sunt verba Iohannis Baptistae, quae facile ex narrationibus Iudaeorum aut Christianorum Simon accipere potuerat, antequam a Matthaeo litteris conscripta essent. Plane alia est autem ratio eius loci qui ex Pauli prima epistula ad Corinthios citatur. Qui cum iam l. V, 12 (D. 178, 7) inter praecepta Peratarum laudetur[43]), vox ἡ γραφὴ addita satis documento est, locum ex libro sive epistula depromptum esse.[44]) At nullo modo persuaderi nobis poterit, Simonem Magum licet ad octogesimum annum primi p. Chr. n. saeculi vixerit, iam ex Pauli epistula ad Corinthios data ad doctrinam suam confirmandam locum quendam citasse. Itaque hi loci, quos modo diximus, nos prohibent quominus totum opus Simonem conscripsisse censeamus, sed Apophasim illam ita fere compositam esse statuamus. Simon enim cum in litteris Graecis bene versatus esset, ipse summam doctrinae suae litteris mandavisse nobis videtur; nam omnia commenta et

---

[41]) Cf. Baur, K. G. I, p. 180: „Man durfte ja nur die heiligen Schriften allegorisch erklaeren, so konnte man alles, was man wollte, selbst die speculativsten Gedanken der griechischen Philosophie in ihnen selbst finden. In welchem weiten Umfang dies in Alexandria geschah, bezeugen die Schriften Philo's, in welchen wir den ausgedehntesten Gebrauch von der allegorischen Erklaerung gemacht und den Inhalt des Alten Testaments mit allem, was die Systeme der griechischen Philosophie darbieten konnten, auf's Innigste verschmolzen sehen."

[42]) Quartum enim locus, quem Dunckerus p. 239 in notis ex I. Petri 1, 24 citatum esse vult, iam apud Iesaiam c. 40, 6—8 legitur.

[43]) Ὅταν δὲ λέγῃ, φησίν· ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν ἡ γραφή κτλ. Non temere ex hoc loco citato conicias, et Peratis et Naassenis et Simonianis eandem Apophasim pro evangelio fuisse. cf. supra p. 7.

[44]) Quae cum ita sint, nihil iam obstat, quin auctor Apophaseos etiam priores locos ex scripto Matthaeo sumpserit.

praecepta libri illius aptissima sunt ad Simonis ingenium, ut nemo auctor vel magis aptus vel illis temporibus magis conveniens reperiri possit. Haec vero principia et quasi elementa doctrinae Simonianae ab discipulis et sectatoribus eius denuo per tractata et ipsorum commentis aucta esse; ab eisdem illos ex Novo Testamento locos adiectos equidem censeo.

Sed haec hactenus de Simone Apophaseos magnae auctore; nunc exponam secundum Hippolyti librum quid Simon de natura numinis divini ac mundi creatione docuerit, ne dicam — somniaverit. Agit autem Hippolytus de his rebus l. VI c. 9—14 sed latius atque confusius, cum orationem saepe locis citatis interrumpat. Itaque ipse l. X, 12 ex his capitibus sex quasi summam doctrinae Simonianae in unum collegit, quod caput ut fundamentum totius sit quaestionis exscribemus, sed ita ut ea quae ex l. VI, 9—14 gravia ac memorabilia videantur, adiciamus. Locus autem ille in libro X, 12 ita legitur: *Ὁ πάνσοφος Σίμων οὕτως λέγει· ἀπέραντον εἶναι δύναμιν, ταύτην ῥίζωμα τῶν ὅλων εἶναι. Ἔστι δέ, φησὶν, ἡ ἀπέραντος δύναμις τὸ πῦρ κατ' αὐτὸν οὐδὲν ἁπλοῦν, καθάπερ οἱ πολλοὶ ἁπλᾶ λέγοντες εἶναι τὰ τέσσαρα στοιχεῖα καὶ τὸ πῦρ ἁπλοῦν εἶναι νενομίκασιν, ἀλλ' εἶναι τοῦ πυρὸς τὴν φύσιν διπλῆν καὶ τῆς διπλῆς ταύτης καλεῖ τὸ μέν τι κρυπτόν, τὸ δὲ φανερόν· κεκρύφθαι δὲ τὰ κρυπτὰ ἐν τοῖς φανεροῖς τοῦ πυρός, καὶ τὰ φανερὰ τοῦ πυρὸς ὑπὸ τῶν κρυπτῶν γεγονέναι. Πάντα δέ, φησί, νενόμισται τὰ μέρη τοῦ πυρὸς ὁρατὰ καὶ ἀόρατα φρόνησιν ἔχειν.* Numen divinum igitur ex Simone infinita est potestas eademque radix totius rerum universitatis. Quam infinitam potestatem, cum apud Mosen deus ipse saepius (cf. Exod. 24, 17; Deuteron. 4, 24) ignis comburens et consumens (*πῦρ φλέγον καὶ ἀναλίσκον*) vocetur, Simon ignem[45]) esse definivit. cf. Hippol. l. VI, 9. D. 236, 69. Hic vero ignis adeo non naturalis sive unum ex quattuor[46]) rerum elementis est, ut nil nisi imago vel similitudo mentis et rationis divinae putanda sit. Nec simplex est huius ignis rationalis natura sed duplex: una occulta et invisibilis, altera aperta et sensibilis. Quodcum altera in altera abscondita quasi lateat, Hippolytus hanc duplicem rationem ex Aristotelis et Platonis philosophia ita illustrat (cf. VI, 9. D. 238, 89): *Ἔστι δὲ τοῦτο, ὅπερ Ἀριστοτέλης δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ καλεῖ ἢ Πλάτων νοητὸν καὶ αἰσθητόν.* Ex occulta autem divini ignis natura omnes procreatae sunt res visibiles. Itaque Simon (cf. VI, 9. D. 238,

---

[45]) Heracliti (cf. Hippol. VI, 9. D. 236, 73) et Stoicorum decreta in hoc de ignea dei natura placito Simoniano agnoverunt Uhlhornus, Recognitt. p. 405. et Moellerus, Kosmol. p. 290. De Stoicorum igni artificioso (*τεχνικῷ*) cf. Brandis, Gesch. d. Entwickl. d. Griech. Phil. II, 108 sqq.

[46]) Stoicos ab Heraclito discrepantes quattuor tantummodo elementa statuisse, satis constat; vide sis Brandis, l. c. II, 110. Philo, de Cherubim. p. 129. C ed. Hoeschel a. 1691.

96) hunc ignem supercaelestem, qui thesaurus est omnium rerum et intelligibilium et sensibilium, non inepte confert cum ingenti illa arbore quae regi Nabuchodonosoro per somnium ita visa sit, ut omnis caro inde nutriatur.

Satis dictum arbitror de Simonis igneo numine; nunc videamus, qua ratione hic mundus adspectabilis ex igni non generato ortus sit. Qua de re Hippolytus l. X, 12 his verbis pergit: *Γέγονεν οὖν, φησίν* (D. ex cod. *φασίν*) *ὁ κόσμος ὁ γεννητὸς ἀπὸ τοῦ ἀγεννήτου πυρός. Ἤρξατο δὲ, φησίν, οὕτως γενέσθαι· ἓξ ῥίζας τὰς πρώτας τῆς ἀρχῆς τῆς γενέσεως ὁ γεννητὸς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ πυρὸς ἐκείνου λαβών· ταύτας γὰρ ῥίζας γεγονέναι κατὰ συζυγίας ἀπὸ τοῦ πυρός, ἅστινας καλεῖ νοῦν καὶ ἐπίνοιαν, φωνὴν καὶ ὄνομα, λογισμὸν καὶ ἐνθύμησιν.* Hinc iam intellegimus sex radices primas ex aeterno ac divino igni processisse, ut mundus ac rerum universitas fieret. Quae radices cum saepius cf. VI, 12 (D. p. 240, 40; 50) etiam *δυνάμεις* dicantur, ex eis quae supra §. 2 exposuimus, dubium esse non potest, quin haec de divinis virtutibus opinio ex Iudaeorum Alexandrinorum imprimis Philonis philosophia petita sit. Binae autem virtutes inter se coniunctae quasi coniugium (*συζυγίαν*) faciunt: hanc *συζυγίας* notionem, quae Apophasi peculiaris sane est, cum ex Philonis tum ex singulari inter Simonem Helenamque ratione deductam esse iam infra videbimus. Etenim prius cuiusque coniugii membrum masculum, alterum femininum est, quorum actione et congressu omnes res progignantur. Simon vero non ignorans, ex mera ratione et mentis cogitatione numquam res atque corpora proficisci, sex illas virtutes divinas etiam corporeas esse statuit, et *νοῦν* atque *ἐπίνοιαν* caelum ac terram, *φωνὴν* atque *ὄνομα*, solem lunamque, *λογισμὸν* atque *ἐνθύμησιν* aerem atque aquam exhibuit. Plane aliam, mihi quidem non probabilem sententiam Lipsius V. D. de hac re protulit, de qua vide sis eius commentationem de gnosticismo, Encyclop. ed. Ersch et Gruber I. Sect. t. 71. p. 278, a.

Praeter has sex potestates (*δυνάμεις*) et rationales et corporeas Simon in Apophasi iam septimam virtutem eamque gravissimam ac potentissimam statuit (cf. VI, 13; 14. D. p. 240, 50; 242, 59; 71; 75; 77 etc.) de qua Hippolytus l. X, 12 haec scribit: *Εἶναι δὲ ἐν ταῖς ἓξ ῥίζαις ὁμοῦ τὴν ἀπέραντον δύναμιν [δυνάμει οὐκ ἐνεργείᾳ, ἥντινα ἀπέραντον δύναμιν*[47]*] εἶναί φησι τὸν ἑστῶτα, στάντα, στησόμενον, ὃς ἐὰν ἐξεικονισθῇ ἐν ταῖς ἓξ δυνάμεσιν, ἔσται οὐσίᾳ, δυνάμει, μεγέθει, ἀποτελέσματι μία καὶ ἡ αὐτὴ τῇ ἀγεννήτῳ καὶ ἀπεράντῳ δυνάμει, οὐδὲν ὅλως ἔχουσα ἐνδεέστερον ἐκείνης τῆς ἀγεννήτου καὶ ἀπαραλλάκτου καὶ ἀπεράντου δυνάμεως· ἐὰν δὲ μείνῃ δυνάμει μόνον ἐν ταῖς ἓξ δυνάμεσι καὶ μὴ ἐξεικονισθῇ, ἀφανίζεται, φησί,*

[47]) Haec verba Bernaysius coll. libro sexto p. 240, 38 per homoeoteleuton excidisse recte coniecit.

καὶ ἀπόλλυται οὕτως ὡς ἡ δύναμις ἡ γραμματικὴ ἢ γεωμετρικὴ ἐν ανθρώπου ψυχῇ ὑπάρξασα μὴ προσλαβοῦσα τεχνίτην τὸν διδάξαντα. Αὐτὸν δὲ εἶναι ὁ Σίμων λέγει τὸν ἑστῶτα. στάντα. στησόμενον. ὄντα δύναμιν τὴν ὑπὲρ τὰ πάντα. Ταῦτα τοίνυν καὶ ὁ Σίμων.

Ac primum quidem in his quae modo exscripsimus, de septima potestate, etsi ea non diserte nominetur, sermonem esse inde vel optime intellegas, cum hos locos libri sexti c. 13 et 17 contuleris (D. 240, 59): ὁ δὲ λέγων ταῦτα ἡ ἑβδόμη δύναμις ἐστίν, ὁ ἑστώς. στάς, στησόμενος et (D. 250, 9): ἡ δύναμις ἡ ἑβδόμη .... ἡ ἐν ταῖς ἓξ κατακειμένη δυνάμεσιν.

Proximum est ut quaeramus quid sibi velit vox illa ὁ ἑστώς, στάς. στησόμενος. In Clementinis Simon saepius (cf. Hom. II, 22; 24; XVIII, 12; 14. Recognitt. II, 7) ὁ Ἑστώς sive Stans appellatur, et de dignitate Stantis cum Dositheo certasse narratur (cf. Hom. II, 24. Recognitt. II, 11). Audiamus igitur quomodo illa hanc appellationem interpretentur, cf. Hom. II, 22, ex edit. de Lagardi p. 27, 30: ταύτῃ δὲ τῇ προσηγορίᾳ κέχρηται. ὡς δὴ στησόμενος ἀεὶ καὶ αἰτίαν φθορᾶς, ὥστε τὸ σῶμα πεσεῖν, οὐκ ἔχων. et Recogn. II, 7: „hac autem appellatione utitur quasi qui neget posse se aliquando dissolvi, asserens carnem suam ita divinitatis suae virtute compactam, ut possit in aeternum durare. Hinc ergo Stans appellatur, tamquam qui non possit ulla corruptione decidere.“ Quam vero inanis ac parum subtilis haec vocis illius interpretatio sit, quis est quin videat? nihil aliud enim nisi Simonem se immortalem atque aeternum professum esse confirmat. Nec magis Albr. Ritscheli V. D. ratio huius vocis interpretandae mihi placet, qui in libro „Entsteh. d. altkathol. Kirche“, II. edit. p. 228 not. haec contendit: „Darum halte ich auch meine Erklaerung des Messiaspraedicates ἑστώς trotz der Ungunst, welche sie gefunden hat aufrecht, dass es auf den Propheten geht, ὃν ἀναστήσει κύριος (Deuteron. 18, 15; 18).“ Nam inde quod dominus Mosi parem prophetam se suscitaturum pollicitus sit, hanc Stantis appellationem deductam esse numquam mihi persuadere potero. Paulo propius ad veram eius originem accedit Guilelmus Moellerus in libro Kosmolog. d. griech Kirche p. 94 et 305, qui ex Philonei sermonis consuetudine hanc τοῦ ἑστῶτος appellationem ducit. Apud Philonem enim deus saepius ὁ ὢν[48]) sive ὁ ἑστὼς appellatur, cf. Philo de nomin. mutat. §. 7. p. 586 M. de poster. Caini 7. p. 230 M. Etenim ab Iudaeis Alexandrinis hanc appellationem ducendam censeo nec dubito quin ita fere eius origo explicanda sit. Iudaei Samaritaeque[49]) cum

[48]) Cf. Exod. III, 14. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. Daehne, jued. alexandr. Relig. Phil. I, p. 123, not. 21.
[49]) Cf. Petermann, de Samaria in Herzog. Real-Encyclop. tom. XIII, p. 372.

nomen divinum יהוה pronuntiare ex lege Mosaica vetiti essent, fieri non poterat quin alio modo nomen dei exprimerent aut circumscriberent, quod iam Exod. 3, 14 factum videmus. Itaque formula *ὁ ἑστώς, στάς, στησόμενος*, quae in Apophasi Simoniana persaepe exstat, nominis divini periphrasis apud Alexandrinos usitata fuit, ut in Iohannea Apocalypsi deus *ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος*[50]) vocatur, quae formula dei aeternitatem eiusdemque immutabilitatem significat.

Nunc vero ultima c. 12. l. X. attendamus verba: *Αὐτὸν δὲ εἶναι ὁ Σίμων λέγει τὸν ἑστῶτα στάντα στησόμενον, ὄντα δύναμιν τὴν ὑπὲρ τα πάντα*, quae certe ad Simonis disciplinam recte intellegendam maximi sunt momenti. Simon ergo ut homo et aeterna illa septima potestas[51]), est et *ἡ ἀπέραντος δύναμις* sive *ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ μεγάλη* (ex Actor. VIII, 10) et *ὁ ἑστὼς στὰς στησόμενος* sive deus יהוה (*IABE*)[52]) Samaritarum. Quod vel optime apparebit si eos ex Apophasi locos perlustraverimus, qui ad septimam illam potestatem pertineant. Sunt autem hi loci Veteris Testamenti: Gen. 1, 2. cf. D. p. 242, 77; Gen. 1, 31. cf. D. p. 242, 60; Gen. 2, 2. cf. D. p. 242, 65—67; Proverbb. Salom. 8, 23. cf. D. p. 242, 73; Ies. 1, 2. cf. D. p. 242, 57. Nam septima illa potestas ex Proverbiis Salomonis ante omnia saecula generata est et ex Gen. 1, 2 spiritus dei, qui super aquas ferebatur; deinde ex Gen. 1, 31 et 2, 2 *ὁ δημιουργός*, qui universum mundum creavit; denique ex Ies. 1, 2 foederatus ille deus Israelitarum, qui lege data liberos sibi procreavit sed ab ipsis desertus est. — Iam porro quod septima illa potestas divinitate exuta homo Simon factus est, hac re optime mira illa repugnantia dissolvitur, infinitam potestatem quae nihil nisi *ἐνέργεια* esse videatur, tamen in sex illis radicibus sive potestatibus *δυνάμει* tantum inesse. cf. VI, 12; X, 12. Nimirum Simon homo factus intellegendus est, is qui humana natura indutus rursus ad divinitatem assurgat.[53])

Iam vero intimam huius septimae potestatis vim atque naturam recludit memorabilis ille locus l. VI, 17, quem Hippolytus maximam partem ex Apophasi excerpsit: *Ἔστιν οὖν κατὰ τὸν Σίμωνα τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον ἐκεῖνο ἐν παντὶ κεκρυμμένον δυνάμει, οὐκ ἐνεργείᾳ, ὅπερ ἐστὶν ὁ ἑστώς, στάς, στησόμενος, ἑστὼς*

[50]) Cf. Bengel. Gnomon. ad Apocalyps. I, 4.

[51]) Quod Simon septimam potestatem sibi peculiarem sumpsit, hac de causa certe fecit, quia numerus septenarius apud Hebraeos sanctissimus erat. cf. Philo de opific. mundi §. 30—43. ex edit. I. Mueller. p. 79 sqq.

[52]) Cf Theodoret. quaest. 15 ad Exod.: *καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται IABE Ἰουδαῖοι IAΩ.*

[53]) Cf. Hippol. VI, 18: *Γέγονεν οὖν ὁμολογουμένως κατὰ τοῦτον τὸν λόγον τοῖς ἀνοήτοις Σίμων θεὸς ὥσπερ ὁ Λίβυς ἐκεῖνος ὁ καὶ Ἄψεθος, γεννητὸς μὲν καὶ παθητός, ὅταν ᾖ ἐν δυνάμει, ἀπαθὴς δὲ ἐκ γεννητοῦ, ὅταν ἐξεικονισθῇ καὶ γενόμενος τέλειος ἐξέλθῃ τῶν δυνάμεων τῶν πρώτων δύο, τουτέστιν οὐρανοῦ καὶ γῆς.*

ἄνω, ἐν τῇ ἀγεννήτῳ δυνάμει, στὰς κάτω, ἐν τῇ ῥοῇ τῶν ὑδάτων ἐν εἰκόνι γεννηθείς, στησόμενος ἄνω, παρὰ τὴν μακαρίαν ἀπέραντον δύναμιν ἐὰν ἐξεικονισθῇ. Τρεῖς γάρ, φησίν, εἰσὶν ἑστῶτες, καὶ ἄνευ τοῦ τρεῖς εἶναι ἑστῶτας αἰῶνας οὐ κοσμεῖται ὁ γέννητος (ὁ ἀγέννητος Millerus ex cod.) ὁ κατ' αὐτοὺς ἐπὶ τοῦ ὕδατος φερόμενος, ὁ καθ' ὁμοίωσιν ἀναπεπλασμένος τέλειος ἐπουράνιος, κατ' οὐδεμίαν ἐπίνοιαν ἐνδεέστερος τῆς ἀγεννήτου δυνάμεως γενόμενος, τουτέστιν ὃ λέγουσιν· ἐγὼ καὶ σὺ ἕν, πρὸ ἐμοῦ σύ, τὸ μετὰ σὲ ἐγώ. Αὕτη, φησίν, ἐστὶ δύναμις μία, διῃρημένη ἄνω, κάτω, αὐτὴν γεννῶσα, αὐτὴν αὔξουσα, αὐτὴν ζητοῦσα, αὐτὴν εὑρίσκουσα, αὐτῆς μήτηρ οὖσα, αὐτῆς πατήρ, αὐτῆς ἀδελφή, αὐτῆς σύζυγος, αὐτῆς θυγάτηρ, αὐτῆς υἱός, μήτηρ, πατήρ, ἕν, οὖσα ῥίζα τῶν ὅλων. — Ex his autem illud quam maxime animadvertendum videtur, quod Simon τρεῖς ἑστῶτας sive tres divini numinis substantias esse docuit; quarum una est supra, infinita et non generata potestas (ὁ ἑστώς); altera infra, effigies supernae potestatis, quae quidem effigies supra aquas fertur mundumque creavit (ὁ στάς); tertia denique ea, quae in homine effigiata iuxta beatam infinitamque potestatem stabit (ὁ στησόμενος), — attamen semper et ubique una eademque divinitas. — Cum his autem Simonianis de divinitate sua commentis optime etiam illa concinunt, quae l. VI, 19 ex altera, ut supra demonstravimus, Apophaseos parte Hippolytus exscripsit. Quae si contuleris (D. p. 254, 87 sqq.)[54]), iam videbis ad tantam progressum esse Simonem amentiam, ut haec pronuntiare non vereretur: se vel hominem apparuisse cum non esset homo, et pati etiam in Iudaea visum esse etsi non passum, sed Iudaeis se patefactum esse tamquam filium, in Samaria autem tamquam patrem, in reliquis autem gentibus tamquam spiritum sanctum; sustinere autem sese appellari quocumque nomine appellare vellent homines. Cuius absurdi dogmatis nimia insulsitate Bunsenius V. D. nescio an commotus sit, ut in libro „Hippolyt. u. s. Zeit." I. p. 39.[55]) talia Simonem non de semet ipso sed de Iesu Christo docuisse contenderet. At hac in re virum illum vehementer errasse praeter Hippolytum et Irenaeus (adv. haer. I, 23.) et Tertullianus (de an. 34) et Augustinus (catal. haer. 1) testes sunt. Atque in hunc sententiarum quasi orbem etiam haec optime quadrant, quae Hieronymus in com-

[54]) Κακῶς γὰρ διοικούντων τῶν ἀγγέλων τὸν κόσμον διὰ τὸ φιλαρχεῖν αὐτούς, εἰς ἐπανόρθωσιν ἐληλυθέναι αὐτὸν ἔφη μεταμορφούμενον καὶ ἐξομοιούμενον ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις καὶ τοῖς ἀγγέλοις, ὡς καὶ ἄνθρωπον φαίνεσθαι αὐτὸν μὴ ὄντα ἄνθρωπον, καὶ παθεῖν δὲ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ δεδοκηκέναι μὴ πεπονθότα, ἀλλὰ φανέντα Ἰουδαίοις μὲν ὡς υἱόν, ἐν δὲ τῇ Σαμαρείᾳ ὡς πατέρα, ἐν δὲ τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν ὡς πνεῦμα ἅγιον, ὑπομένειν δὲ αὐτὸν καλεῖσθαι οἵῳ ἂν ὀνόματι καλεῖν βούλωνται οἱ ἄνθρωποι.

[55]) So bezieht sich also die ganze Stelle auf Jesus und giebt urspruenglich wenigstens Simons Lehre ueber die Erscheinung, das Leben und die Leiden Christi sqq.

ment. ad Ev. Matth. 24, 5. ex ipsius Simonis voluminibus a se excerpta perhibet: „Ego sum sermo dei, ego sum speciosus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia dei.“

Sed iam satis de Simone Pseudochristo Samaritano dictum est; nunc secundum Apophasim eius (cf. l. VI, 14—16. D. p. 242, 83 sqq.) exponamus, quid ille de hominum creatione ac redemptione docuisse videatur. In his vero cum vesanam quandam arrogantiam tum obscenam eius mentem optime deprehendas. Nam cum homo ex Gen. 2, 7 (cf. D. p. 242, 86 sqq.) ad dei imaginem (κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν) creatus sit, imago autem divina spiritus ille qui super aquas fertur, sive septima illa potestas, quae humanam Simonis naturam induisse putatur, nonne ita Simon homo quasi ἀρχέτυπον omnium hominum existimandus est? Spurcissimum vero animum eius iam inde cognoscas, quod paradisum, in quo deus hominem finxerit, uterum femineum esse vult. Cf. D. p. 244, 96. Deinde Edem hortum sive regionem illam paradisi umbilicum interpretatur, cf. D. p. 244, 3—5. Quattuor autem flumina illa ex Edem horto profluentia et binas arterias et binas venas appellat, quarum illae spiritus, hae sanguinis efficiunt canales. Tum de hominis foetu dum in utero versatur, nonnulla ita traduntur, ut ea auctorem artis anatomicae non plane imperitum fuisse probent.[56]) Deinde fluvium ex Edem progredientem et quattuor ex eo ductos canales, qui modo venas arteriasque significabant, rursum quinque sensus interpretatur; qui sensus cf. VI, 15, 16. singulos legis Mosaicae libros repraesentant: Genesim visus, Exodum auditus, Leviticum olfactus, Numeros gustus, Deuteronomium tactus. Mare rubrum appellat sanguinem et fontem Marah vitae humanae amaritudinem. Moses denique, qui amaram in dulcem aquam convertat, logus est, quae vox illud Philonis, cum Mosen τὸν λόγον προφήτην nuncupat, in memoriam revocaverit. Sed mittamus hasce alucinationes!

Multo autem maioris momenti sunt, quae in Apophasi de hominibus sospitandis praecipiuntur. L. VI, 16. D. p. 248, 67 sqq.: Πάντα οὖν, φησί, τὰ ἀγέννητα ἐστὶν ἐν ἡμῖν δυνάμει οὐκ ἐνεργείᾳ, ὡς ἡ γραμματικὴ ἢ γεωμετρική. Haec vero aeterna et non generata, quae in mente humana δυνάμει tantum exstant, nihil aliud nisi numen τὸ Στησόμενον esse iam supra demonstravimus. Quo modo autem facultas illa divina menti nostrae insita et servatur et augetur? Nulla alia ratione quam idonea institutione et informatione cf. l. c. ἐὰν οὖν τύχῃ τοῦ λόγου τοῦ προσήκοντος καὶ διδασκαλίας. Quam si non adepta erit facultas divina sicut ars grammatica aut

[56]) In Clementinis et Hom. II, 26 et Recognitt. II, 15 Simon homunculum quendam puerum, quo in praestigiis uteretur, ex aëre sibi finxisse perhibetur.

geometrica una cum moriente homine interibit. (cf. VI, 12. D. p. 240, 48: ἀποθνήσκοντι τῷ ἀνθρώπῳ συνδιαφθείρεται.) Verum enimvero cum idoneam institutionem nacta est mens humana ἐξεικονίζεται id est ad dei imaginem effigiatur et ita infinitae et non generatae potestati similis et compar fit (cf. D. p. 248, 73.).[57] Hanc vero scientiam, quae homines sospitare possit, per Simonis ipsius cognitionem et doctrinam tradi atque effici iam altera pars Apophaseos aperit. cf. VI, 19. D. p. 254, 86: *Τὴν δὲ Ἑλένην λυτρωσάμενος οὕτως τοῖς ἀνθρώποις σωτηρίαν παρέσχε διὰ τῆς ἰδίας ἐπιγνώσεως.* Quam necesse autem sit mentem humanam per scientiam effigiari, hanc rem Simon in Apophasi iterum atque iterum suis inculcat. cf. D. p. 238, 3; 14. p. 240, 39; 44. p. 244, 88, 91. p. 248, 72; 74 cet.

Iam vero restat ut ea quae Simon de Helena sua commentus est secundum Hippolytum exponamus. Quibus de rebus ex Apophasi magna duo habemus excerpta, quorum unum l. VI, 18 ex priore seu contemplativa Apophaseos parte, alterum l. VI, 19 ex ea quae magis ad vitam ac mores pertinet exscriptum esse videatur: etenim prior locus ex philosophiae evolvit rationibus, qualis necessitudo inter Simonem Helenamque ut numina divina intercedat; alter vero locus, quibus fabulis Simon et vitam et ipsam Helenae personam obscuraverit vel obvolverit optime illustrat et explicat. Atque prior quidem locus l. VI, 18 ita legitur: *Ὑμῖν οὖν λέγω ἃ λέγω καὶ γράφω ἃ γράφω. Τὸ γράμμα τοῦτο· δύο εἰσὶ παραφυάδες τῶν ὅλων αἰώνων, μήτε ἀρχὴν μήτε πέρας ἔχουσαι. ἀπὸ μιᾶς ῥίζης, ἥτις ἐστὶ δύναμις σιγὴ ἀόρατος, ἀκατάληπτος, ὧν ἡ μία φαίνεται ἄνωθεν, ἥτις ἐστὶ μεγάλη δύναμις, νοῦς τῶν ὅλων διέπων τὰ πάντα, ἄρσην, ἡ δὲ ἑτέρα κάτωθεν, ἐπίνοια μεγάλη, θήλεια, γεννῶσα τὰ πάντα. Ἔνθεν ἀλλήλοις ἀντιστοιχοῦντες συζυγίαν ἔχουσι, καὶ τὸ μέσον διάστημα ἐμφαίνουσιν ἀέρα ἀκατάληπτον, μήτε ἀρχὴν μήτε πέρας ἔχοντα. Ἐν δὲ τούτῳ πατὴρ ὁ βαστάζων πάντα καὶ τρέφων τὰ ἀρχὴν καὶ πέρας ἔχοντα. Οὗτος ἐστὶν ὁ ἑστώς, στάς, στησόμενος, ὢν ἀρσενόθηλυς δύναμις κατὰ τὴν προϋπάρχουσαν δύναμιν ἀπέραντον, ἥτις οὔτ' ἀρχὴν οὔτε πέρας ἔχει, ἐν μονότητι οὖσαν· ἀπὸ γὰρ ταύτης προελθοῦσα η ἐν μονότητι ἐπίνοια ἐγένετο δύο. Κἀκεῖνος ἦν εἷς· ἔχων γὰρ ἐν ἑαυτῷ αὐτὴν ἦν μόνος, οὐ μέντοι πρῶτος, καίπερ προϋπάρχων, φανεὶς δὲ αὐτῷ ἀπὸ ἑαυτοῦ, ἐγένετο δεύτερος. Ἀλλ' οὐδὲ πατὴρ ἐκλήθη πρὶν αὐτὴν αὐτὸν ὀνομάσαι πατέρα. Ὡς οὖν αὐτὸς ἑαυτὸν ὑπὸ ἑαυτοῦ*

[57]) Cf. D. p. 250, 14: ἀρξάμενος ὡς ἀπὸ σπινθῆρος ἐλαχίστου, παντελῶς μεγαλυνθήσεται καὶ αὐξήσει καὶ ἔσται δύναμις ἀπέραντος, ἀπαράλλακτος, [ἴση καὶ ὁμοία] αἰῶνι ἀπαραλλάκτῳ μηκέτι γινομένῳ εἰς τὸν ἀπέραντον αἰῶνα.

προαγαγὼν ἐφανέρωσεν ἑαυτῷ τὴν ἰδίαν ἐπίνοιαν, οὕτως καὶ ἡ φανεῖσα ἐπίνοια [Codex Paris.: ἐπίνοιαν] οὐκ ἐποίησεν, ἀλλὰ ἰδοῦσα αὐτὸν ἐνέκρυψε τὸν πατέρα ἐν ἑαυτῇ, τουτέστι τὴν δύναμιν, καὶ ἔστιν ἀρσενόθηλυς δύναμις καὶ ἐπίνοια, ὅθεν ἀλλήλοις ἀντιστοιχοῦσιν (οὐδὲν γὰρ διαφέρει δύναμις ἐπινοίας) ἓν ὄντες. Ἐκ μὲν τῶν ἄνω εὑρίσκεται δύναμις, ἐκ δὲ τῶν κάτω ἐπίνοια. Ἔστιν οὖν οὕτως καὶ τὸ φανὲν ἀπ' αὐτῶν, ἓν ὂν δύο εὑρίσκεσθαι, ἀρσενόθηλυς ἔχων τὴν θήλειαν ἐν ἑαυτῷ. Οὕτως ἐστὶ νοῦς ἐν ἐπινοίᾳ, ἃ χωριστὰ ἀπ' ἀλλήλων, ἓν ὄντες, δύο εὑρίσκονται.

Haec autem satis grandiloqua eademque subobscura Simonis effata sic interpretanda esse duco. Principium atque radix universitatis rerum est Silentium, quod nec videtur nec comprehenditur, potestas infinita seu numen divinum. Ex hoc Silentio turiones omnium aeonum duo exsistunt, qui nec principium neque finem habent, quorum unus superne apparet, magna potestas, mens universi, omnia administrans, genere mascula; alter autem turio inferne apparet, intellegentia seu sapientia magna, genere feminea, omnia gignens. Ille pater haec mater omnium rerum inter se coniugium habent et in medio utriusque aerem infinitum, incomprehensibilem manifestant. In hoc aëre pater operatur, qui omnia alit et sustinet, quae principium ac finem habent. Hunc autem patrem ἑστῶτα στάντα στησόμενον Simonem esse hominem factum supra satis demonstravimus; item Helenam Ἐπίνοιαν seu Ἔννοιαν πρώτην id est Sapientiam summam a Simone appellatam esse et Iustinus (I. Apol. 26) et Irenaeus (adv. haer. I, 23) testantur. Necessitudo vero, quae inter Simonem Helenamque ut numina intercedit, talis fere describitur. Epinoea cum ex Silentio, solitaria illa potestate divina, tum a patre etsi non primo tamen antea exsistente procedit. Uterque eorum est ἀρσενόθηλυς[58]), quoniam Sapientia mater patris potestatem excepit et in se abscondidit. Item quidquid ex eis manifestatur, etsi unum est, duplex reperitur.[59])

---

[58]) Apud Naassenos quoque princeps homo Adamas ἀρσενόθηλυς est. cf. Hippol. V, 6. D. p. 132, 60.

[59]) Cum nuper Steinharti V. D. egregiam de Philone commentationem in Pauly. R. Encycl. t. V. p. 1499—1516 legerem, iam iamque mihi apparebat haec quoque de mente ac sapientia Simonem ex philosophia Alexandrinorum imprimisque Philonis mutuatum esse. Quam ad sententiam probandam nonnulla inde excerpere libet: [p. 1505] „Gott war ihm das schlechthin Seiende [τὸ ὄν, stehende Bezeichnung des hoechsten Gottes, doppelt willkommen als woertliche Uebersetzung von יהוה] ..... In diesem dunkeln Urgrunde des Seins nahm nun Philo ohne consequente speculative Entwickelung eine successive Gliederung von Offenbarungen an .... [p. 1506] Die ersten Stufen dieser Gliederung sind Vernunft [νοῦς] und Weisheit [σοφία] .... Der νοῦς [die Stufe des sich selbst denkenden und

Divinitate Helenae ita constituta iam tempus est alterum considerare locum [l. VI, 19], qui ex altera, ut supra docuimus, Apophaseos parte excerptus eas fabulas enarrat, quas Simon ex Graecorum mythis de Helena sua commentus est. Qua in re et ab fortuito nomine Helenae et ab Aegyptiorum opinione de animarum in alia corpora migratione profectus nec ignorans Helenae i. e. facis ac Selenae nomen principio[60]) unum idemque fuisse, suam Helenam quam ex fornice Tyrio redemerat, eandem atque veterem illam ex bello Troiano notissimam esse praedicavit. Hanc esse tamquam ovem aberrantem et deperditam[61]) [*τὸ πρόβατον τὸ πεπλανημένον*. D. p. 252, 61. *τὸ ἀπολωλός*. p. 254, 75.] quae semper in corporibus muliebribus commorans omnes in mundo regnantes potestates propter insuperabilem suam perturbasset venustatem. Nam cum omnes potestates hanc venustissimam sibi arrogarent, seditiones ac bella, quascumque inter gentes apparuisset, propter eam exorta esse: sic bellum Troianum per illam conflatum. Nec inimicos eius poena liberos fuisse: nam Stesichorum[62]) poetam cum Helenam carminibus lacerasset, oculis quidem privatum sed palinodia in laudem eius composita visum recepisse [D. p. 254, 67 sqq.]. Item alias poetarum Cyclicorum fabulas ad suam videtur rettulisse Helenam: *καὶ γὰρ τὸν δούρειον ἵππον ἀλληγορεῖ καὶ τὴν Ἑλένην ἅμα τῇ λαμπάδι καὶ ἄλλα πλεῖστα ὅσα μετάγων εἰς τὰ αὐτοῦ καὶ τῆς ἐπινοίας πλαστολογεῖ*. D. p. 252, 58—60. cf. Epiphan. Panar. adv. haer. I, 3. p. 57. Haec ille ex Troianis mythis; causam vero huius *μετεμψυχώσεως* ex philosophia sumpsit Alexandrinorum imprimis Philonis, qui hunc mundum ab angelis et potestatibus infernis fabricatum esse sta-

sich in der Welt, die Welt in sich wissenden Gottes] ist der reinste Abglanz des hoechsten Gottes, nur durch sich selbst erkennbar, der Vater aller Offenbarungen, der bewegende Grund aller Dinge, der Gott des Alls, das Hoechste was der Gedanke und das Wort erreichen kann. Ebenso ist die Weisheit [der *νοῦς* in seiner lebenschaffenden Ausbreitung, gleichsam die concrete, der Vielheit zugewendete Seite desselben] die lebendige Quelle aller Offenbarung, aller Dinge Koenigin, Mutter, Anfang und Ende, hoechste Fuehrerin und Lenkerin, Weltschoepferin. Auch sie ist, gleich der goettlichen Vernunft, nur durch sich selbst erkennbar, nicht blosses Organ des Erkennens, der Vorhof des hoechsten Herrschers, sein ideales Haus. Sie steht dem maennlichen Princip des *νοῦς* als ergaenzendes weibliches Princip gegenueber, daher ist jener der Dinge und zunaechst des Logos Vater, diese die Mutter.

[60]) Cf. H. Usener. V. D. commentationem de Kallone in Mus. Rhen. a. 1868. p. 331 sq.

[61]) Bunsenius V. D. in libro „Hippolyt. u. s. Zeit.“ I. p. 39 coniecturam fecit, Helenam a Simone ex loco Ev. Matth. 15, 24 ovem aberrantem dictam esse. Sed fugit illum V. D. hanc ovis aberrantis similitudinem iam in V. T. usitatissimam fuisse, ut Ps. 119, 179: *ἐπλανήθην ὡς πρόβατον ἀπολωλός*. cf. Ies. 53, 6; Ezech. 34, 5 sqq. Apud Philonem vero ovis animam puram et insontem significat. [cf. Gfroerer, Philo. I, p. 89.] ovis igitur aberrans est anima peccato sive materiae subiecta.

[62]) Cf. Bernhardy. Grundriss d. Griech. Litt. I. ed. p. 475. Platon. Phaedr. p. 243. A. de Republ. IX, p. 586. C. De palinodia cf. Horat. Epod. 17, 42—44.

tuerunt. Ab his enim angelis docebat Helenam corporibus indutam (*μετενσωματουμένην*) omnique dedecori obnoxiam fuisse, postremo etiam in fornice Tyrio prostitisse, unde Simon de caelis degressus eam liberasset. Nam ad hanc imprimis Epinoeam et investigandam et vinculis liberandam de caelis se descendisse, cum semet transfigurasset et potestatibus atque angelis assimulasset. Ut vero Helenam suam sospitasset, sic omnium hominum se vindicem esse, quibus salus praeberetur per suam ipsius scientiam atque doctrinam [*διὰ τῆς ἰδίας ἐπιγνώσεως*. D. p. 254, 87.].

Expositis his Simonianis de Helena commentis iam praecepta nonnulla adiungamus, quibus magus ille stultos credulosque homines sibi alliciebat. Suos enim nullo malo, quod vulgo quidem pro malo haberetur, teneri docebat, cum omnibus legibus exsoluti essent [D. p. 254, 85.]. Prophetas autem Iudaeorum inspiratos ab angelis mundi fabricatoribus edidisse vaticinationes; *διὸ μὴ φροντίζειν αὐτῶν τοὺς εἰς τὸν Σίμωνα καὶ τὴν Ἑλένην πεπιστευκότας ἕως νῦν, πράσσειν τε ὅσα βούλονται ὡς ἐλευθέρους, κατὰ γὰρ τὴν αὐτοῦ χάριν σώζεσθαι αὐτοὺς φάσκουσι. Μηδὲν γαρ εἶναι αἴτιον δίκης εἰ πράξει τις κακῶς, οὐ γάρ ἐστι φύσει κακὸν ἀλλὰ θέσει. Ἔθεντο γάρ, φησίν, οἱ ἄγγελοι οἱ τὸν κόσμον ποιήσαντες ὅσα ἐβούλοντο, διὰ τῶν τοιούτων λόγων δουλοῦν νομίζοντες τούς αὐτῶν ἀκούοντας. Λύσιν δὲ αὖθις λέγουσι τοῦ κόσμου ἐπὶ λυτρώσει τῶν ἰδίων ἀνθρώπων.*

Quam pravi ac dissoluti mores Simonianorum talibus praeceptis oboedientium fuerint, facile iudicari potest: Irenaeus quidem [adv. haer. I, 23, 4.] et Origenes [c. Celsum I, 57; V, 62.] et Eusebius [H. Eccl. II, 13.] uno ore eos spurcissimos ac teterrimos fuisse testantur. Hippolytus vero quasi ludum magorum et praestigiatorum sectam illam describit. cf. l. VI, 20: *Οἱ οὖν τούτου μαθηταὶ μαγείας ἐπιτελοῦσι καὶ ἐπαοιδάς, φίλτρα τε καὶ ἀγώγιμα καὶ τοὺς λεγομένους ὀνειροπόμπους δαίμονας ἐπιπέμπουσι πρὸς τὸ ταράσσειν οὓς βούλονται.* De cultu eorum l. c. iam haec refert: *εἰκόνα τε τοῦ Σίμωνος ἔχουσιν εἰς Διὸς μορφὴν καὶ τῆς Ἑλένης ἐν μορφῇ Ἀθηνᾶς, καὶ ταύτας προσκυνοῦσι, τὸν μὲν καλοῦντες κύριον τὴν δὲ κυρίαν. Εἰ δέ τις ὀνόματι καλέσει παρ᾽ αὐτοῖς ἰδὼν τὰς εἰκόνας ἢ Σίμωνος ἢ Ἑλένης, ἀπόβλητος γίνεται ὡς ἀγνοῶν τὰ μυστήρια*, unde manifesto sequitur ut vel miserrimos istos homines tam foedorum mendaciumque réligionis suae auctorum puduerit.

Haec fere sunt quae Hippolytus de Simone Mago haeresiarcho illo Satanaeque primogenito [Ignat. ad Trall.] memoriae prodidit. Illud certe satis superque demonstrasse nobis videtur: *ὅτι Χριστὸς οὐκ ἦν Σίμων ὁ ἑστώς, στάς, στησόμενος, ἀλλ᾽ ἄνθρωπος ἐκ σπέρματος, γέννημα γυναικός, ἐξ αἱμάτων καὶ ἐπιθυμίας σαρκικῆς καθάπερ καὶ οἱ λοιποὶ γεγεννημένος* [cf. VI, 9. D. p. 236, 63—66.].

# Schulnachrichten.

## I. Lehrverfassung.

### A. Allgemeiner Lehrplan.

| Unterrichtsgegenstände. | Wöchentliche Stunden | | | | | | | | | Stunden |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | Progymnasium | | | | | | Vorschule | | | |
| | II | IIIa | IIIb | IV | V | VI | I | II | III | |
| Religion | 2 | 2 | | 2 | 3 | 3 | 3 | 3 | 3 | 21 |
| Deutsch | 2 | 2 | | 2 | 2 | 2 | 7 | 9 | 10 | 36 |
| Lateinisch | 10 | 10 | 10 | 10 | 10 | 10 | . | . | . | 60 |
| Griechisch | 6 | 6 | 6 | 6 | . | . | . | . | . | 24 |
| Französisch | 2 | 2 | 2 | 2 | 3 | . | . | . | . | 11 |
| Geschichte und Geographie | 3 | 3 | | 3 | 2 | 2 | 2 | . | . | 15 |
| Mathematik und Rechnen | 4 | 3 | 3 | 3 | 3 | 4 | 6 | 6 | 6 | 38 |
| Physik | 1 | . | . | . | . | . | . | . | . | 1 |
| Schreiben | . | . | . | . | 3 | 3 | 4 | 4 | 5 | 19 |
| Zeichnen | . | . | . | 2 | 2 | 2 | 2 | 2 | . | 10 |
| Singen | . | . | . | . | . | 2 | 2 | | . | 4 |
| | 30 | 28 | 28 | 30 | 28 | 28 | 26 | 26 | 24 | 239 |
| Hebräisch | 2 | . | . | . | . | . | . | . | . | 2 |
| Zeichnen (facultativ) | 2 | | | . | . | . | . | . | . | 2 |
| Singen | 2 | | | | | . | . | . | . | 2 |
| Turnen | 2 | | | | | 2 | | . | . | 4 |

Summa 249

## B. Vertheilung der Lehrstunden im Winter-Semester 1867.

| Lehrer. | Ordinariat. | Progymnasium II | IIIa | IIIb | IV | V | VI | Vorschule I | II | III | Stunden |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1. Dr. Reichenow Oberlehrer und Dirigent. | | 4 Mathem.<br>1 Physik<br>3 Gesch. u. Geograph. | 2 Religion<br>3 Mathem. | 3 Mathem. | | | | | | | 16 |
| 2. Dr. Krüger Oberlehrer. | II | 10 Latein<br>2 Griech.<br>2 Deutsch | 6 Griech. | | | | | | | | 20 |
| 3. Thilenius 1. Ord. Lehrer. | IV | 2 Französ. | 2 Französ.<br>2 Latein | 2 Franz. | 9 Latein<br>2 Französ.<br>2 Deutsch | | | | | | 21 |
| 4. Dr. Hülsen 2. Ord. Lehrer. | IIIa | 2 Religion<br>2 Hebräisch | 8 Latein<br>2 Deutsch | | 2 Religion<br>6 Griech. | | | | | | 22 |
| 5. Bournot 3. Ord. Lehrer. | IIIb | | 3 Gesch. u. Geogr. | 8 Latein<br>6 Griech. | | 3 Französ.<br>2 Geogr. | | | | | 22 |
| 6. Dr. Müller 4. Ord. Lehrer. | V | 4 Griech. | | 2 Latein | 3 Gesch. u. Geogr.<br>1 Latein | 10 Latein<br>2 Deutsch | | | | | 22 |
| 7. Spiess 3. Elementarlehr. | VI | | | | 3 Rechnen | 3 Religion<br>3 Rechnen | 3 Religion<br>10 Latein<br>2 Deutsch<br>4 Rechnen | | | | 28 |
| 8. Kraetke 1. Elementarlehr. | Vorsch. II | 2 Singen | | | | | | 2 Singen | 3 Religion<br>9 Deutsch<br>6 Rechnen<br>4 Schreib.<br>2 Zeichn. | | 28 |
| 9. Junker 2. Elementarlehr. | I | | | | | 3 Schreib. | 2 Geogr.<br>3 Schreib.<br>2 Singen | 3 Religion<br>5 Deutsch<br>6 Rechnen<br>2 Geogr.<br>2 Zeichn. | | | 18 |
| 10. Semfke 4. Elementarlehr. | III | | | | | | | 4 Schreib. | | 3 Religion<br>10 Deutsch<br>6 Rechnen<br>5 Schreib. | 28 |
| 11. Maler Walter Zeichenlehrer. | | 2 Zeichnen | | | 2 Zeichn. | 2 Zeichn. | 2 Zeichn. | | | | 8 |

## C. Unterrichts-Pensa.

(Michaelis 1867 bis Michaelis 1868.)

### I. Progymnasium.

#### Secunda. Ordinarius: Oberlehrer Dr. Krüger.

**Religion:** Im W. Einleitung in d. Bücher des A. T. Lectüre auserwählter Stücke aus Psalmen und Propheten. Im S. Einleitung in d. katholischen Briefe. Brief des Jacobus, Petr. 1, Joh. 1 im Grundtext geles. u. erklärt. Repetition des Katechismus. 2 St. Hülsen.

**Deutsch:** Lectüre: im W. Lessing's Minna von Barnhelm, im S. Goethe's Götz von Berlichingen. Aufsätze. Uebungen im Declamiren und freie Vorträge. 2 St. Krüger.

**Lateinisch:** Lectüre: im W. Cic. pro Milone u. Vergil. Aen. lib. V (einige Abschnitte wurden memorirt), im S. Liv. lib. XXI bis cap. 48 u. Vergil. Aen. lib. VI bis v. 547 (memorirt wie im S.), 6 St. — Grammatik: Repetition ausgewählter Abschnitte der Syntax (im W. nach Meiring, im S. nach Ellendt-Seyffert); Anleitung zur Phraseologie und Stilistik meist im Anschluss an die wöchentl. Extemporal., welche memorirt wurden; Exercitien alle 14 Tage und mündliches Uebersetzen aus Süpfle II. Prosod. Uebungen. Ausserdem Abtheil. I: Versuche in freien lat. Aufsätzen. 4 St. — Privatlectüre: Abth. I im W. Liv. lib. II, im S. Cic. de imper. Cn. Pomp., Abth. II (zum Theil), im W. Cic. de imp. Cn. P., im S. Cic. pr. Ligario (erste Hälfte). Krüger.

**Griechisch:** Lectüre: im W. Xenoph. Hell. l. VI (von cap 3 an) u. VII nebst ausgew. Abschn. aus Herod. l. I; im S. Xen. H. l. I. u. II. Grammatik: im W. die Genera und Tempora des Verbum, Infinitiv und Participium; im S. Artikel u. Pronomina nach Gottschick's Grammatik. Extemporalien wöchentlich; Exercitien vierzehntägig u. mündliches Uebersetzen aus Gottschick's Beispiels. II. Repetition der unregelm. Verba. Vocabeln nach Gottschick's Vocabularium. 4 St. Müller.

Hom. Odyss. im W. lib. XI, XIII, XIV, im S. lib. XVI, XVII; einige Abschnitte wurden memorirt. 2 St. Privatlect. (Abth. I) im W. lib. XV, im S. lib. XXI. Krüger.

**Französisch:** Lectüre: ausgew. Stücke aus d. Chrestom. von Plötz. Grammatik: im W. Lehre v. Pronom, Rect. d. Verbum nach Plötz. Im S. Lehre vom Infinit. Exercitien u. Extemporalien vierzehntägig. 2 St. Thilenius.

**Geschichte und Geographie:** Im W. Römische Geschichte von dem 2. Pun. Kriege ab. Geograph. Repetitionen. Im S. orient. Geschichte u. Geschichte Griechenlands bis zu den Perserkriegen. Alte Geographie. 3 St. Reichenow.

**Mathematik:** Im W. Rechnung mit Potenzen u. Wurzeln. Logarithm. Gleichungen nach Kambly, § 39—78, nebst Aufg. nach Hoffmann. Repet. der Geom. nach Kambly, § 128—165. Im S. ebene Trigonometrie nach Kambly, § 1—28, quadratische Gleichungen. 4 St. Reichenow.

**Physik:** Schall, Licht, Wärme. 1 St. Reichenow.

**Hebräisch:** Im W. Formenlehre bis zum Verb. guttural. nach Gesenius, u. Mezger's Uebungsb. 2 St. Hülsen.

Tertia A. Ordinarius: Ord. Lehrer Dr. Hülsen.

Religion: Im W. Lectüre der Apostelgeschichte des Lucas. Katechismus, bes. Erklärung des 4. u. 5. Hauptstücks. Bibelsprüche u. Kirchenlieder wurden gelernt. Im S. Geschichte des Reiches Gottes im A. T. bis zu den Königen in Verbindung mit der Lect. der betr. bibl. Schriften messian. Stellen und Psalmen wurden gelernt. Repet. des Katechismus. 2 St. Reichenow.

Deutsch: Im W. Lectüre u. Erklärung von Schiller's Gedichten, im S. der Fabeln Lessing's; Lehre vom zusammengesetzten Satz. Freie Vorträge u. Declamationen gelernter Gedichte. Alle 3 Wochen ein Aufsatz. Hülsen.

Lateinisch: Lectüre: im W. Caesar d. b. c. lib. III, im S. lib. I. 4 St. Grammatik: Lehre von d. Temp. u. Modis im W. nach Meiring, im S. nach Ellendt-Seyffert. Repetition der Casuslehre. Extempor. wöchentlich, Exercitien alle 14 Tage; mündliche Uebungen aus Gruber's Uebungsb. 4 St. Hülsen. — Ovid. Metam. im W. lib. VII, VIII, IX nach Auswahl, im S. Stücke aus lib. III, IV, V. 200 Verse memorirt. Prosod. Uebungen nach Seyffert, § 1—3. 2 St. Thilenius.

Griechisch: Lectüre: im W. Xenoph. Anab. lib. IV, im S. lib. V. Grammatik: Repetition des Pensums der Tertia B., Verba auf — μι und v. anomala. Vocabeln. Extemporalien, welche memorirt wurden, abwechselnd mit Exercitien. 6 St. Krüger.

Französisch: Lectüre: ausgewählte Stücke aus Plötz Chrestom. Grammatik: im W. Verb. irrégul. u. einzelne Regeln aus der Syntax nach Plötz Gr. Abth. II, im S. Lehre von den modis. Exercitia u. Extemp. vierzehntägig. 2 St. Thilenius.

Geschichte und Geographie: Deutsche Geschichte. Geogr. von Deutschland. 3 St. Bournot.

Mathematik: Im W. Arithmetik nach Kambly, § 25—33, 39—45, 68—76 nebst Aufgaben nach Hoffmann. Im S. Planimetrie nach Kambly, § 82—127. Repetitionen. 3 St. Reichenow.

Tertia B. Ordinarius: Ord. Lehrer Bournot.

Religion: 2 St.
Deutsch: 2 St. } combinirt mit Tertia A.

Lateinisch: Lectüre: im W. Caesar d. b. g. lib. II u. III, im S. l. IV u. V, c. 1—23 4 St. Grammatik: Casuslehre, im W. nach Meiring, im S. nach Ellendt-Seyffert. Extemp. u. Exercit. wöchentlich, daneben schriftliche u. mündliche Uebungen aus Gruber's Uebungsb. 4 St. Bournot. — Ovid. Met. im W. l. IIII 1—54, 389—415, 614—789, V 1—241; im S. V 249—571; gelernt wurden im W. IV 1—54, 389—415, 639—662, im S. V 294—372. Metrische Vorübungen im W. nach Meiring, im S. nach Ellendt-Seyffert. 2 St. Müller.

Griechisch: Formenlehre vom Verb. mut. bis zu den Verbis auf — μι incl. Repetition des Pensums der Quarta. Lectüre aus Gottschick's Lesebuch. Mündliche und schriftliche Uebersetzungen aus Gottschick's Uebungsb. Vocabeln. Extemp. abwechselnd mit Exercitien wöchentlich. 6 St. Bournot.

Französisch: Lectüre: Stücke aus Plötz Elem. Gram. nach Auswahl. Grammatik:

im W. vom pronom person. in Verbindung mit dem Verb., die gebräuchlichsten unregelm. Verb., im S. Wiederholung des Pensums des W.-S.

**Geschichte und Geographie:** 2 St.; combinirt mit Tertia A.

**Mathematik:** Planimetrie bis zur Kreislehre nach Kambly Abschn. 1 u. 2. Arithmetik nach Kambly § 1—22, 23—39 nebst Aufgaben nach Hoffmann. 3 St. Reichenow.

Quarta. Ordinarius: Ord. Lehrer Thilenius.

**Religion:** im W. Evang. Lucae, im S. Abschnitte aus den Büchern Samuelis u. d. Königen. Geographie von Palästina. Memorirt wurden in jedem Sem. das 4. u. 5. Hauptstück u. 5 Kirchenl. 2 St. Hülsen.

